

quod *Arnobius* L. II. adu. gentes de *Platone* asserit. *Quid enim putamus habuisse rationis Platonem illum magnum, pie sancteque sapientem, cum hominis fictionem Deo remouit a maximo, & ad minores nescio quos transtulit.* Nitebatur haec eorum sententia conceptu quodam de Deo formato ex similitudine cum hominibus, quo Dei beatitudinem summamque tranquillitatem tolli sibi persuadebant, dum non majores solum, verum & minores res terrestres curare deberet, vnde id potius ministris suis, diis inferioribus, commisisse eum concluderunt. 2.) Alii arbitrantur, opponere haec *Paulum* praesertim *Epicurais* & *Stoicis*, cum quibus ipsi antea res fuerat. *Epicurais* ortum omnium hominum ex concursu atomorum, ex propria earundem vi motrice oriente, qua similia similibus cohaerent, deriuarunt, atque Deum ex mundi fabricatione plane *Epicurus* omisit, vnde ipsi omnem quoque providentiam denegauit, quippe cum beatitudini eius rerum terrestrium cura multum decederet, licet, quod ipsi male imputatur, Deum existere non negauerit. *Stoici* licet animam tanquam igniculum ex igne diuino depromptum describerent, materiam tamen aeternam crediderunt, quam Deus tantum modo formauerit, humanam mentem imprimendo, qualia plura affert de *Stoicis* *Censorinus* de die natali c. I. Nec minus in eo, quod ex vno sanguine omnes homines orti sint, aperte contradicere videntur vt *Antoninus* L. II. §. I. edit. opp. *Gatakeri* T. II. p. 35. οτι μοι συγγενης, ουχι αιματῶ ἢ σπερματῶ του αυτου, αλλα νου και θειας απομοιρας μετοχος. quod congener mihi sit, non tam quod sanguinis feminisque eiusdem quam quod mentis & portionis diuinae mecum particeps. Idem fere repetit L. XII. §. 26. p. 358. vbi vero tantummodo negare potest,

C

prae-